

emolliri corpus, primamq; statem ad incrementum eâ re multum juvari, & hanc qvidem omnium prudentium medicorum confessionem esse; ut proinde etiam hoc profuisse ad insignem majorum proceritatem, dubitandum non sit. Inservire etiam ideo arbitror balnea puerulis certâ qvapiam tabe corporis laborantibus, qvam vulgus crinonibus, **venen** **Mit** **Essent** tribuit: ubi loco putredinis animatæ excrementitiam materiam potius poris cutis undiq; impactam esse suspicor, qvam eâ ratione dilui atqve elici posse credo, ut postea facilior atqve felicior nutritio puerorum subseqvatur: superfluam verò industriam collocare mulieres arbitror in balneis variis conficiendis, dum feces, pollinem tritici vel pulsem certam, mel alia que similia appropriata putata pro dracunculis istis è cute promptius evocandis adhibent; de quibus alio in loco commodiori pleniora dabimus. Plura qui appetit de atrophia curanda mediantibus balneis naturalibus ritè usurpati, evolvat **Joh: Bauhinum de aquis medicatis l. 3. c. 3.** Idem autor ibidem cap. 2. p. 181: perhibent, inquit, obesos fieri homines aquâ Antiochi in Campania tractu temporis ob mediocrem siccitatem. Qvod præterea balneis delectentur Ægyptii atqve iis inter alia obesitatem sibi procurare intendant, patet ex **Prosp: Alpini de Medic: Ægypt: l. 3. c. 14. 17.** Nescio num opportunè huc traham, quod habet **Elianis lib: 5. històr: animal: c. 45.** inquietus suem pingvescere audio non cum plurimum lavatur, sed cum in luto versatur ac volutatur & aquam turbidam bibit. **Aristot: lib: 8. històr: animal: c. 6.** dicit itidem sues lavando in cœno pingvescere. Plura de suis lustrô vel lacunis delectantibus tradit **Vorstius in Adagiis novi testam: p. 27.**

In præcedentibus subinnuimus, quod continuus calor fatiget corpus atqve inde fatiscet ac destruatur pinguedo, quod itidem labores & affectus animi præstant. Sic non opus videatur probatione operosâ quod curæ edaces nomen & omen, vel efficaciam habeant, & corpus macerent ac extenuent, veluti si volupe est, de epitheto illo curarum consuli potest **Joh: Nic: Wernerus in corpusc: philok: p. 219. & 221.**

Idem efficiunt animi affectus sinistri, scilicet mœror, tristitia,